

conscientia aut hominibus ipsis indita est ab ipsis hominibus, aut ab aliò quòdam. Non ab ipsis hominibus, quid enim opus esset, ut vitia sua obvelare, malefacta etiam calculum patrata omnibus modis excusare eniterentur? Ergò erit ab aliò quòdam, scil. ab eò, à quò etiam homines originem traxerunt suam. Propterea fit, ut scelera etiam occulta & ad nullius notitiam delata animos delinquentium vellicent & urgeant. Aspice quæso Neronem, quantis fuerit agitat^{us} furiis, quantis accensus toedis, qui tamen Senecâ Moderatore atque omnibus superior & legibus duodecim tabularum exemplus? Considera Caligulam, quàm minatus fuerit ille cœlo & cum Jove contenderit, si tempestas ipsi non ad nutum esset! tamen ubi fulgurabat aut coruscabat, tum caput obnubebat, & sese sub lectum condebat. En magnanimum & fortissimum Heroem! qui antea DEO bellum indicebat, nunc verò cum DEUM arma sumere audit, de manibus ipsius fugit, seseque sub plumas abscondit. Immo totò die ferè fit, ut multi ob stimulos conscientie fauciarum seipso^s ex numero hominum ejiciant & ex finibus humane nature exterminent, sibi que ipsis violentas inferant manus & ita poenam summi judicis effugere autument. Quò ipso fatentur se DEUM aliquem ut summum judicem agnoscere, in cujus potestate sit malos punire, bonos verò præmiis & honore afficere.

§. 8. Sed hîc iterum habent, qui Atheismum profitentur, quod reponant dicentes, hoc argumentum ex conscientie testimoniò petitum infirmum esse ideò, quia plerumque imò semper falsorum DEORUM cultores conscientie morsu angantur, si DEIS suis debitum honorem non tribuerint, aut aliud quid poenâ dignum admiserint. Resp. Consequentia illa falsissima est. Quemadmodum non sequitur, febricitanti amarum est, quicquid exhibueris & consequen-

quen.